

inter se distantes, ut esset spatium, qua elephanti hostium acti nihil ordines turbarent. Laelium... cum Italico equitatu a sinistro cornu, Masinissam Numidasque a dextro opposuit. Vias patentes inter manipulos antesignanorum velitibus — ea tunc levis armatura erat — complevit, dato praecepto, ut ad impetum elephantorum aut post directos refugerent ordines, aut in dextram laevamque discursu applicantes se antesignanis viam, qua irruerent in ancipitia tela, beluis darent. Hannibal ad terrorem primos elephantos... instruxit, deinde auxilia Ligurum Gallorumque Baliaribus Maurisque admixtis; in secunda acie Carthaginienses Afrosque et Macedonum legionem; modico deinde intervallo relicto subsidiariam aciem Italicorum militum... instruxit. Equitatum et ipse circumdedit cornibus; dextrum Carthaginienses, sinistrum Numidae tenuerunt. Varia adhortatio erat in exercitu inter tot homines, quibus non lingua, non mos, non lex, non arma, non vestitus habitusque, non causa militandi eadem esset. Auxiliariibus et praesens et multiplicata e praeda merces ostentatur; Galli proprio atque insito in Romanos odio accenduntur; Liguribus campi uberes Italiae deductis ex asperrimis montibus in spem victoriae ostentantur... aliis aliae spes ac metus iactantur. Carthaginiensibus moenia patriae, di penates, sepulcra maiorum, liberum parentibus coniugesque parvulae, aut excidium servitiumque

funditoribus, hastatis Illyricis, cum Epiroticis permixtis postremam aciem clausit. Non confertas autem cohortes antea sua quenquam signa instruebat, sed manipulos aliquantum inter se distantes, ut esset spacium, quo cataphracti hostium equites et gravis armaturae accepti, nihil ordines turbarent. Regem cum Appulo et Italico equitatu a sinistro cornu, Mosen Giurizamque a dextero opposuit. Vias patentes inter manipulos antesignanorum Dibranis suis et Macedonicis (ea levis armatura erat) complevit, dato praecepto, ut ad impetum Gallorum equitum et cataphractorum aut post rectos refugerent ordines, aut in dexteram laevamque discursu applicantes se antesignariis viam, qua irruerent in ancipitia pila et tela, Gallico equitatu et hostili equiti gravis armaturae darent. Comes Iacobus ad terrorem primum tormenta super currus et quadrigas imposita instruxit, dehinc sclopos scorpionariosque ac pedites longis hastae permixtos; in secunda vero acie Appulos, modico intervallo relicto, subsidiariam aciem, auxilium Ligurum Brutiorumque militum instruit. Equitatum etiam ipsum circumdedit cornibus; dextrum Galli, sinistrum Itali tenuerunt. Varia hinc et inde exhortatio in utroque exercitu erat, inter tot homines, quibus non lingua una, non mores, non lex, non arma, non vestitus habitusque, non causa militandi eadem esset. Auxiliariibus et praesens et multiplicata merces ex praeda